

## DE RERVM NATVRA I

concilio possent arceri tempore iniquo.  
nec porro augendis rebus spatio foret usus  
seminis ad coitum, si e nilo crescere possent. 185  
nam fierent iuvenes subito ex infantibu' parvis  
e terraque exorta repente arbusta salirent.  
quorum nil fieri manifestum est, omnia quando  
paulatim crescunt, ut par est, semine certo  
crescentesque genus servant; ut noscere possis 190  
quidque sua de materia grandescere aliquae.  
huc accedit uti sine certis imbribus anni  
laetificos nequeat fetus summittere tellus  
nec porro secreta cibo natura animantum  
propagare genus possit vitamque tueri; 195  
ut potius multis communia corpora rebus  
multa putes esse, ut verbis elementa videmus,  
quam sine principiis ullam rem existere posse.  
denique cur homines tantos natura parare  
non potuit, pedibus qui pontum per vada possent 200  
transire et magnos manibus divellere montis  
multaque vivendo vitalia vincere saecla,  
si non, materies quia rebus reddita certast  
gignundis e qua constat quid possit oriri?  
nil igitur fieri de nilo posse fatendumst, 205  
semine quando opus est rebus quo quaeque creatae  
aeris in teneras possint proferrier auras.  
postremo quoniam incultis praestare videmus  
cultura loca et manibus meliores reddere fetus,  
esse videlicet in terris primordia rerum 210  
quae nos fecundas vertentes vomere glebas  
terraique solum subigentes cimus ad ortus.  
quod si nulla forent, nostro sine quaeque labore